



**Miserationis cantus durus & mollis, a dextitalem omnigenae in  
humanitatis duritiem, ut et luxus ac socordiae mollitiem,  
evitandam, atque sedes beatorum possidendas**

<https://hdl.handle.net/1874/20633>

21 B. 795

MISERATIONIS  
CANTUS  
DURUS & MOLLIS,

A DEXITIALEM  
OMNIGENÆ IN HUMANA-  
NITATIS DURITIEM, UT ET  
Luxus ac Socordix Mollitiem, evi-  
tandam, atque Sedes Beatorum  
possidendas.

*Authore*

JOANNE RUISCHENBERGH



ULTRAJECTI,

Apud JODOCUM LEONEM,  
Anno M. DC. LXXI.

de 1756 - 3-3-



*Viris Dignissimis*

*Prudentiæ , Eruditionis , Honorum-  
que Amplitudine*


*Clarissimis , Spectatissimis ,*

*Dignissimis , Nobilissimis , Potentissi-  
misquè Dominis*

**D.** Decano Cæterisque respectivè  
Collegiatarum Ecclesiarum **B.**  
Mariæ Canonicis Dominis suis  
Patronis ac fautoribus longè co-  
lendissimis , observandissimis.

*Quâ possum animi submissione dedico,  
offero , ac consecro subjectissimus  
cliens , ingenio magis , quam for-  
tunâ securus.*

**JOHANNES RUSCHENBERGH**



## VITA & MORS.

**H**Eus Juvenis periture ! sapis? proh ! immemor atri.

Pulveris, es fastu vilior umbra tuo.

**P**ellicibus placeas turbæque furentis Iacchi,

Vel Marti ; Morti sic placuisse potes.

At formâ velut esse Paris vis esse Puellis,

Pectore sic Hector vulnera sæpè facis.

At sternens alios, Mortem quis straverit Heros?

Mors inopinato te premet ipsa pede.

**P**ulvis eras, & Pulvis eris, licet ubere vena

Et tibi sat vegeto sanguine vita fluat.

Et licet os rubicundus eas ceu murice tinctum,

Flavaque lanugo vestiat hæcce genas,

**Q**uem modò calcasti, duro super aggere stertas.

Sive merum vel aquam casside forte bibas.

**P**ectore nudato sit fas equitare per hostes,

Et quater aureolas tela per ipsa comas,

**P**allesces, & forma tuo morietur in ore.

Pulchra manus manib<sup>9</sup> vix adhibenda Chloës.

**P**harmaca pro multo satis usurpata reponet

Lydia, funereis ferta datura rosis.

At

MIS. CANT. DVR. & MOLL. 5

At quid ego hæc fatuo ? Puer ingeniosior illo,  
 Ut sapias, fragilem succiduumque nota.  
 Stultus is est, viridi qui nescit ab ilice frondem.  
 Decidere, & tacito cedere cuncta die.  
 Hunc tamen immemorem trahit ignorantia vitæ,  
 Ut quoque nec dici vivere mente queat.  
 Ætatis lapsæ manes post funera Lethe  
 Rivus in æternum dememinisse facit ;  
 Quâ bibitâ nimio veluti mens torpet Iaccho,  
 Cui cum præteritis effugit vnda Iocis.  
 Sic perhibent vates : sit fabula trita : quid indè ?  
 Vatibus arridens fabula sæpè docet.  
 Amnis at in terris simili cor inebriat undâ,  
 Pectus & imbibitis fascinat omne vadis.  
 Potus aquâ hâc Juvenis fruitur præsentib<sup>9</sup> horis.  
 Et semper læto subsilit ille pede.  
 Huic oblita mali mens, nec præfaga laborum  
 Somniat Elysiûm se peragrarè nemus.  
 Lusitat, itque reditque subit topiaria, plena  
 Pocla gerens mistis evacuanda Iocis.  
 Subsiliunt choreæ, nervo trepidante sub ictu  
 Pollicis: exultat cor quoque cum cytharâ.  
 Ast ea læta super lugubri scena theatro  
 Vertitur, ut juvenem Parca Tragœda rapit.  
 In nunc, & tumulis cuivis insculpe legenda.  
 Qui Juvenem potis hunc imitaris aquis.  
 Hic situs est, qui se Juvenem lætabilis ævi  
 Posse supinari nesciit ante senem.  
 Corpore fortis erat, vitio sed labilis omni.  
 Candidus Orcigenis, Cœlitibusque niger.

B

Ingenio

6 MISERATIONIS CANTVS  
 Ingenio pollens, sed non industrius astris,  
 Cantor, at Ætherei vappa canoris iners.  
 Id quod erat periit, donorum Præter abusum,  
 Et vitæ vitium, quodque perire facit.  
 Pectus humo tegitur, glebâque inolente capilli:  
 Frons jalet informi vermiculata situ.  
 Quod possedit habet, nihil; & quod nesciit, illud  
 Nescit ad huc: & quod scivit, abisse scias.  
 Nil scivit nisi se sociisque potenter abuti.  
 Truncus is haud vitam sensit abire suam.  
 Surdus erat, fidibus licet auscultaret: in isto,  
*Disce mori*, vatum carmine surdus erat.  
 Luscus erat: verum non vidit inesse colorem  
 Rebus: erat fatuus, cum sibi nil saperet.



## EPVLONIS EPISTOLA

Ad quinque Fratres, ex hist. Evang.  
 Luc. xv i.

*E Vernaculo translata.*

**V**Nquam si stygiis erupit Epistola claustris,  
 Fratrib<sup>9</sup> hæc utiñ quinque legenda foret!  
 Fratribus ecce meis, & adhuc carpentibus auras  
 Ni titulum sexti Fratris habere neger.  
 Attamen ista mei moveat vos littera fratres,  
 Quæ, quâ destituor, plena salutis erit;  
 Plena salutis erit vobis, tam dira legendo:  
 Ne fluat exemplo lubrica vita meo.

Me

Me miserū ! quid jam misero mihi deniq; restat,  
 Iam mihi præcluso ( fata sinistra ! ) Polo ?  
 O me ter miserum, cuius miserescere possent  
 Saxa, feræ lachrymis immaduisse suis.  
 Hac legite attentis animis; legite: ista legendo  
 Discite, Tartareas quid sit inisse vias.  
 Noctibus æternis horrent heic antra, nec ullum  
 Est inbar in toto carcere: cuncta chaos.  
 Ter tribus æratis cincti sumus undique muris :  
 Et jacet oclusas Cerberus ante fores. (est  
 Exitus inde latet: plusquã Labyrinthus Averti-  
 Anfractus: stygiis nil remeabit aquis. (sa-  
 Nos sumus alta strues, fomes, ignis, & vnica mas-  
 Pressus & alterius corpore sudo miser.  
 Ex sudo humorem gnttasq; ego mille; sed ortas  
 Haurit & humidulas fervor & æstus habent.  
 Hocque sub insparso capiti fumus igne sepulti:  
 Non tamen in cineres solvimur igne leves.  
 Tosta sed ossa putes torrerier igne recenti:  
 Et veluti plumbum tota medulla liquet.  
 Semper inextincta torrentur viscera flamma,  
 Mors fugit; æternâ morte tamen morior.  
 His vtinam flammis possem cinerescere totus,  
 Et ferrugineas spargerer ante fores!  
 Sicq; foret finis post secula mille laborum,  
 Sampsonio malle m pectore plura pati,  
 Membra cremâda damus tortoribus arida mille  
 Tortor at exangues acrior intus agit:  
 Concava sulphureis horrent vmbacula flâmis,  
 Cum volvit streperos æstus ad astra globos.

## 8 MISERATIONIS CANTVS

Pluraq; perpeterer, foret hæc modò gratia passo  
Dimitti : at surdis auribus illa loquor.

Hoc adamante malum duroq; per omnia ferro  
Sæcula duraci sculpsit in ære Deus.

Irrevocabilibus (nimis heu crudelia!) fatis  
Cum prece suspensas nolle videre manus.

Et miserum facit ipse miser : miserescere nescit.

Rex meus ultrices explicat ipse manus  
Semper in os vultumq; ardenti sulphure nostrū  
Trans humeros aliquis vibrat agitq; faces.

Lurida membra notat cādenti stigmate, pulchrâ  
Suetâ, subindutâ sindone, veste tegi ;

Veste, nitens tinxit quam purpura, pinxit & aurū;  
Veste throno dignâ, Laurigerisque Dijs.

Instillatq; picem digitis trux licetor adesis,  
Circum quos adamas atque pyropus erat.

Ac ubicunque meis effulsit vestibus aurum,  
Ignibus accumulor sulphureisque rogis.

Muricea pro veste atque ignicolore Pyropo,  
Proluor è piceis igne fluente cadis.

Colla gravesq; humeros, circū quos intè pepedit  
Aurea, jam colubris texta catena ligat.

Officiunt digitis jam scripturientibus angues:  
Anguibus & crispæ diriguere comæ.

Cerberus ille in me, triplici siquandò latratu  
Intonat, infestâ fauce venena vomit.

Cuncta Poëtarum mihi ludicra dicta fuere ;  
Carmina de stygijs fabula dicta vadis.

Quæ doleo, teneor jam credere mystica Vatum  
Carmina, flebilibus vera reperta modis.

Sisyphium



Sisyphium lassis faxum, heu, provolvo lacertis.  
 In medio fitiens Tantalus erro lacu.  
 Ixionque rotam lignumque volubile verto.  
 Sum Tityus crebro vulnere passus hepar.  
 Hesternis jungens hodierna dat hora dolenti  
 Vulnera vulneribus lividiora datis.  
 Ac vtinam foret hic mihi terminus ille dolorum  
 Is circumscriptos posset habere modos.  
 Ast mihi mille & mille malis scatet anxius Orcus:  
 Nomina cum numeris haud recitanda suis.  
 Ne quis fortè manum miretur, vt ordine nullo  
 Verba ferat: numeris congrua cuncta meis.  
 Suavia quæ vobis vel deliciofa vocantur,  
 Quâ procul, heu stygijs, suntq; manètq; plagis!  
 Nil nisi grande chaos terrorû, elementa malorû  
 Sunt à tam diris haud aliena plagis.  
 Hæc licet horrescens referam, tamè omnib<sup>9</sup> unû  
 Me gravius torquet, torret in igne malum.  
 Me miserum stringit fitis, intolerabilis æstus:  
 Tanta alibi strinxit pectora nulla fitis.  
 Profilit è medijs per & os scintilla medullis,  
 Nec finit id lachrymis immaduiffe meis.  
 Ringo furens, vbi mens ad pristina dana recurfat  
 Præteritæ fortis sic meminisse mori est.  
 Scilicet ut solitis inhiant mea viscera mensis,  
 Quas texit telâ versicolore tapes;  
 Quas cyathis lautis patinisque nitentibus auro  
 Gaudia mens, illis orba, tulisse refert.  
 Mistâ Ceres Lenæo aderant sua victima ventri,  
 Ventriculoque Deo victima totus eram.

## 10 MISERATIONIS CANTVS

Nec gula peccabat mihi, tumefacta vigebat :

Parcius & vitio vina bibisse fuit.

Sole sub æstivo placuit nix mista Falerno :

Quicquid & in promptu quo saturabar erat.

Hei mihi! quâ perii, periiit velut vmbra voluptas

Portio post magnum nulla relicta penu.

Nulla ferina veru fragrat mihi versa, nec atra

Offa canum superest, nec similago suum.

Hinc horrenda fames, sitis est sed atrocior istâ,

Da semel è pleno musta bibenda lacu.

Quisquis es affer aquæ tantillum faucibus haustû

Da stillas minimas, fluminis instar erunt.

Lingua irroretur, cujus micat ignea cuspis,

Cui tactu madido guttula ferret opem. (stris

Nectare præstaret mihi vappa, quid? ulva palu-

Cum tremula guttâ nostra medela foret.

Nil, crede, evomitur, nec fastiditur is humor,

Quem vermis, vel quem rancida rana bibit,

Sed sine successu me vana querela fatigat.

Quæ peto me fugiunt, me fugienda petunt.

Nuper vt exsuccus iaceo, sitioque liquorem,

Hæc circumspiciens vociferansq; dabam :

Imbue me potu Cæli pincerna vel Orci.

Nullus adest (o fors ferrea!) nullus adest.

Versus at astra Poli dum lumina lenta levabam,

Prospicit è porta semipatente pater, (ctu-

Quis pater? ipse Abrahâ niveo spectandus ami-

Alliciens oculos exiit ore iubar.

Fronte reviviscens visâ, ut perhibente salutem,

Ingenui misero mox meditabar opem :

Eque

Equè finu rupit mistâ raucedine clamor :

O Abraham nati tu miserere tui.

Magne parens Abraham sis exorabilis, audi ;

Respice suspensas ad tua templa manus.

Hæc patulâ licet imbiberet pater entheus aure,

Non tamen acceptat vota præcesq; meas.

Vota precesq; iterans iterata negata querebat.

Frustrâ, heu, do similes terq; quaterq; sonos.

Heu! graue supplicium nil supplice voce potiri!

Id gravius Stigiis ignibus esse queror.

Limentansq; novo plânctu patula aurea Cœli

Limina rimabar sidereasq; fores.

Officit hic nitor his tenebris, ea gloria sternit.

Lazarus ante oculos fulgurat ipse meos ;

Lazarus ante fores solitus procumbere nostras,

Mendicansq; meum sollicitare penum ;

Lazarus esuriens, leprâq; informis olenti ;

Cui pro præsentî mica petita fame est :

Cui rigui trepido velut immanissima cautes ,

Cujus egestati surdus inopsq; fui.

Ulcerâ cui, saturis lingentibus ista molossis,

In minus ungentes ora fuere manus.

Lazarus iste mihi spectatur, Lazarus idem,

At quanto major, dissimilisq; sui !

Auricomi capitis Majestatisq; supernæ

Soli par, nivea verrit is Astra togâ.

Purpura candori suberantq; Holoferica bysso :

Non ea concharum purpura succus erat :

Candida quæ sindon, pluviis nec Solibus albet ;

Non ea moriferis penula nata jugis.

Qualis erat pridem mea gloria byssus & ostrum.

Hæc cinis, & putrido cropore trita putrent.

Gloria quæ decori est Superis fatuisque pudori,  
Tantillo rerum nomine nota placet.

Gemma frequens Hyacinthus, Onix viridisque  
Smaragdus

Sunt veluti Stellæ, quæ sinus Axis habet.

Lazarus his latè lucens tegit vlcera gemmis,

Vlcera, quæ formam dant perhibentq; novam.

Aurea cæsaries humeris in fusa coronam

Sustinet! lauro tempora cinctus adest!

Lazare, vociferor; pie Lazare, Lazare magne.

Plus dare, quam poteras antè petisse, potes.

Supplex te veneror, gelidi mihi suffice fontis.

Hauftum, qui modicè guttura tosta riget.

Humecta minima fibras aspergine linguæ,

Roretve articulo gutta pusilla tuo.

Lazarus indignans quassat caput omne precanti:

Auribus adversis luminibusq; negat.

At precibusq; novis adamantina pectora pulso,

Et tendo lassas, at sine fruge, manus.

Vt filet ille, Abraham sua dat responsa roganti

( Verba tonant rigidos pervolitantq; Notos )

Quid strepis incassum miser, haut miserabilis ulli

Sera nimis nostram vox tua captat opem.

Florebas ætate tuâ, marcebat at ille.

Das pœnas, illi cum nihil antè dabas.

Iure recusanti micam tibi gutta negatur.

Mica dari nequijt, sic neque gutta datur.

Incumbente thoro te, tabidus ille jacebat:

Saxosam fanies inficiebat humum.

Teque

Teque epulante, fames illū truculēta prēmehat:  
 Nectare turgenti te, sitiebat hians:  
 Ast ea mutata est jam scena: illatus is astris  
 Dives ovat: Stygio tu sed in igne sitis.  
 Ille refectus ovat, tu torrida viscera sentis.  
 Sic ea cum rapido fulmine dicta sonant.  
 Mox fuligineum fera ferrea clausit hiatum;  
 Subduxitque oculis clausus utrumque meis.  
 Ut mihi vox passa est sub Avernī regna repulsā,  
 Mox lemurū trepidans agmine cinctus eram.  
 Crudā fauce rudunt: exhauri pocula missa,  
 Pocula præteritis vberiora schyphis.  
 Ignea pix inerat & plumbi fusilis haustus.  
 Laxa per hæc, ajunt, guttura potus eat.  
 Meq; refragantem trux turba ferocius urgent,  
 Cymbia dant solitā fervidiora pice.  
 Ast ego, vos miseri desistite, plango, miserti:  
 O felli potius Toxicā mista bibam.  
 Pluria non edam sitiens lamenta per æstus.  
 Immoritur labiis rauca querela meis. (cis,  
 Nō ego potest &c. plenis at inhorreo fercula buc-  
 Non nisi virifluas vipereasque dapes.  
 Arbitrioque Beëlzebuli mihi missa cruento  
 Ungue ferens licitor mox ait: ista vora. (randi  
 Ista vora absque morâ, Facerem quid? nulla mo-  
 Copia: ructanti turget in ore cibus.  
 Non interrupti gemitus, non luridus angor  
 Exorant condum, nulla querela trucem.  
 Irrita vox. Perit ista fames, periitque tuendo.  
 Mentiar? hæc acuunt fercula sumpta famem.

Talia narranti quid erit quod denique narrem?

Nulla quies superest, nulla creanda quies.

Lectus olorinis qui me solet abdere plumis,

Istud odoriferis dulce torale rosis, (ne est  
Stragula picta vbi sunt? vbi sūt? hodiernus in ig-

Lectus alens sulphur Tartareamque picem.

Sulphureum pulvinar, inest cui fœtor & angor,

Heu, cinis & circum crebra favilla volat.

Decumbens pronum me volvo, revolve supinū.

Quas miser explicui, complico sæpè manus.

Officiosa domus creberque pedissequus olim

Iussa mea obsequiis expedière suis.

Iam sine sum servis Herus, ipse ignobilis umbra,

Mancipium stygii ludibriumq; throni.

Nostis adoratos, & in his mea viscera, fasces,

Nostis inaccessos præ gravitate pedes.

Nunc rerum fragiles, sed serò, cerno columnas,

Quarum post lapsum, lapsus in antra gemo.

Heu! malè præteriti noxas recitavero luxus?

Ah! animo memori noxia vita manet. (vum.

Vivo miser: quid ago? morior, nec terminor æ-

O fileam: sed non posse filere mori est.

Sic igitur vulnus refrico, requiemq; retorquês,

In vani requiem narro laboris opus.

In molliter so solitus sudore locari

Sede, super bysso mite reclino caput.

Postq; Dianæis exercita pectora turmis

Versa coronatos flore frequente schyphos.

Post mensas variis subeo topiaria ludis.

Ast ea præterito tempore dicta decent.

Hæc

Hæc periit, periit nunquam reditura voluptas.  
 Lux obiit, sed nox non obitura manet.  
 Tollo ego nodoso nunc stridula brachia ferro  
 Carceris in latebris sulphureoq; specu.  
 Pransuro super orchæstrâ formosa iuventus  
 Condiit odifonâ fercula nostra chely.  
 Audio nunc planctus freudentiaq; ora sub arctis  
 Compedibus : latè vincula pulsa sonant.  
 O malè lassatæ sonus intolerabilis auri!  
 O Phlegetontæi digna pavore vadi!  
 Sicq; coarctati pressiq; gemiscimus omnes,  
 Et rabidi propriâ vellimus ora manu. (tos.  
 Vinculaq; implicitos mordemus ob arcta lacer-  
 Fit vindex flagris faucibus ipse suis  
 Evomimus mala verba Polo, spirantibus auris:  
 Convitio Lunæ Sideribusq; fumus.  
 Exspuimus sursum, convellimus Astra deorsum,  
 Eque suo folio sternimus ore Deum.  
 Si quod inest linguæ, possent intendere vires,  
 Astra forent Orcus, Orcus & Astra forent.  
 At nihili, nisi lingua novæ est temeraria pœnæ.  
 Et velle opprobrium dicere velle pati.  
 Quod video, mors est, quod sētio, vulnus: & ajūt:  
 Nullus supplicii terminus esto tui.  
 Prætereà quod & hi variis me insultibus angunt,  
 Internus sinui tortor amarus inest.  
 Conscia mens culpæ crudelior omnibus vna.  
 Sauciat hoc pectus, lancinat omne meum.  
 Vermis edax, vivax, sopiri nescius ignis,  
 Cui malus in terris fomes & esca fui.

Mitior

## 16 MISERATIONIS CANTVS

Mitior est duri Geta pectoris, ipse reorum  
 Vltor eâ, mores vngue notante malos :  
 Pristina quæ mihi mēs inflixit crebra sub ostro  
 Vulnera, nunc etiam diffimulata luo.  
 Nunc strepera ebullit. Licet extingatur *Averni*  
 Flamma, tamen flammâ mens truciora parit.  
 Reiectos manes à Numinis ore sereno  
 Calcat : eo factò non graviora facit.  
 Socordi mihi, proh, sterilis defloruit ætas,  
 Inter odoriferas hispida lappa rosas.  
 Aurea, neglectu nostro irrita, labilis ætas  
 Materiem queruli pectoris vltà dedit. (Iutis.  
 Hanc miser amissam queror, immemor antè fa-  
 Est mihi trux vitæ mors meminisse malæ.  
 Me mea luxuries ut & inclementia damnant;  
 Ajunt : pluma fuit mollis, itemq; lapis.  
 Cereus in vitium, liqueat ; vel faxeus antè  
 Supplicibus, scabrâ mole terendus erit.  
 Hæc mihi dicta. vtinâ semel irrevocabilis horæ  
 Vfurâ fruerer, restituendus opi !  
 Erigeret sub ope me spes rediviva supinum ;  
 Iugiter assererent cura laborq; pium.  
 Heu ! Polus hæc nobis intempeſtiva recusat ;  
 Horaq; successum non reditura negat.  
 At vos devinctos uno mihi sanguine fratres,  
 Vos moneo vestram non temerare diem.  
 Vos precor exemplar miserorum : vivite iusti :  
 Vestra sit hæc monitu vita sacrandà meo.  
 Lazarus ipse monens, si vota probata fuissent,  
 De misero vobis me retulisset idem.



At Abraham renuit, perq; intervalla remotum  
 Hunc ab inaccessis arguit esse vadis.  
 Est interstitium, Superûm quo sancta juvenus.  
 Cœlitûs ad stagnum sulphuris ire nequit.  
 Aurea lex ejus labiis tamen effluit almis,  
 Quâ sapiant longæ posteritatis avi.  
 Auscultate pares perhibenti mystica Mofi,  
 Morigeriq; pii Vatibus este piis.



## METAMORPHOSIS.

Hominum in saxa.

**D**Eucalion & Pyrrha homines uno æquore  
 merfos

Trans humeros faxis restituere satis?  
 Mas ferit ille mares, fœmellas fœmina? durum  
 Idgenus est nostræ stirpis vterque parens?  
 Rimor vbi historiam, quæ lucem vera propinat,  
 Hanc sequar: exhibitâ dem ratione facem.  
 Desertisque rosis calcavero mystica saxa.  
 Scrupulus O fiat carmine vivus Onyx!  
 Rudera testantur, steterit, quod fabrica mundi  
 Cultior, indigenis vasta que facta malis; (pes,  
 Quod steterit terra aucta fretis super antibus Al-  
 Indicat ipsa, ab avus narrat, avusque refert.  
 Sed lege veracem, cui constant singula, Mosem:  
 Fictus Deucalion, crede, Noachus erit.  
 Is faber incolumes homines pecudesque carinâ  
 Condit: in hâc primus nauta superstes erat

Cumq;

Cumque suis in eâ, donec decresceret ingens  
 Diluvies, super hâc ille refedit aquâ : (fit  
 Donec monti ararat non naufraga gentis inhæ-  
 Pars sua, vastatam quæ renovaret humum.  
 Non igitur sunt saxa homines, nisi pectora duri.  
 Gens oriunda luto stat velut ipse lapis.  
 Cereæ nonnunquam mollicur, & igne liquefcit,  
 Flammeus Omnipotens cum furit atque ferit.  
 At tonet antè minis, sculpatq; in marmore legē  
 Frangat & hoc, pulvis mox lapidescet humi.  
 Indolis hoc vitium vires assumit ab usu,  
 Ut, malè quod sensit Numen, abesse velit.  
 Quod Deus odit, amat; quod amat Deus, odit; &  
 Durus it, à iusto durior itq; Polo. (obstans  
 Ore manūque ori manūque iubentis amorem  
 Officit, ac tacitè Numen abesse canit.  
 Injussūque putat se laxa mente beatum,  
 Et placidi requiem pectoris esse putat.  
 Hinc studet ire sibi gravibusq; illudere Myftis.  
 Perfer & obdura, dicit in igne lapis.  
 At ego saxa homines sic ore recenseo forti.  
 Quæ mala subsiliunt saxa, retundo pede.  
 Coniux sola lapis sale duracissima Lothi?  
 Hæc via, quæ saxis confita, dura mihi est.  
 Heu! quot ego video, totidem quoq; sentio dura,  
 Dura Polo, sibimet dura, molesta mihi :  
 Saxeus ille, Dei læso qui nomine surdet,  
 Mutit & audito, quo tremit Æthra, probro.  
 Quique stat immotus, Legislatore tonante;  
 Quumque suo pacem publicat ore Deus.

Saxeus

Saxeus est, tortis qui sabbatha negligit uvis,  
Has vel sacrilego turpiter ore bibit;

Et qui pascendus non ardet ab Æthere pasci,  
Sed vorat infernâ fercula cocta manu.

Saxeus est, qui majorum moderamine flecti  
Mescit, & à fido nequiter ore fugit.

Quique reluctatus monitis parere parentum,  
Pectore turgenti vult pater esse patris.

Effœtos & durus avos qui funerat atro  
Ante dies animo, pauperibusque riget.

Saxeus est, qui non in Adami sanguine fratrem  
Vnumquemq; hominem, sanguine motus, amat

Dira mihi cautes censetur, ubi igne maligno  
Aduersus fratrem corde vel ore furit.

Sive oleum qui lampadibus subducit egeni,  
Mensque mori fratrem cuius avara sinit.

Saxeus, immeritâ qui veſtat in horrea messem,  
Quiq; quod & fratris cura meretur, habat.

Saxeus est, qui cû sat habet, sat habere gementi  
Invidet, & socio censibus esse parem.

Sive quod & sit cos, acuat temeraria cultros  
Quâ manus, ut jugulet quos petit ira mali.

Differo vos lapides, quos infamare Sufannas  
Non pudet, infames sed celebrare lupas.

Saxeus est, qui res alienas raptat, ut illis  
In maciem fratrum pinguior ire cupit.

Quique operâ partis infanda victitat ossis,  
Nec benè sudantis complet utramq; manum.

Saxeus est, viduæ qui denegat esse querentis  
Coram non æquis ore Patronus Heris.

Saxeus

## 20 MISERATIONIS CANTVS

Saxeus est, qui non amat id quod seruat, at odit;  
 Quique, quod exitio est, quodque trucidat,  
 amat.

Saxeus ille, malo qui sat reprehensus adhæret,  
 Quique bono iussu non cupit esse bonus.

Saxeus est, iræ qui potaturus amurcam  
 Non tremit, ast inter pocula plena canit.

Quique rosas carpit, dū spem sub vepribus abdi  
 Cernit, & ad tristem rem rediisse Deum.

Vos, quibus infontem mactavit luridus Agnum  
 Latro, sepulchrali saxa manetis homo?

Sunt lapides, resonas, heu, lamentante per auras  
 Fauce Dei, nondum qui potuere queri.

Saxeus ille, Dei qui nondum sacra fluenta,  
 Mustaq; sanguineo torta labore bibit.

Saxeus est spernens pacem pacifq; ministros,  
 Conciliansq; nigras in scelus omne manus.

Saxeus est, oleâ cui rosida sanguine laurus  
 Præstat & albeolis crista cruenta togis.

Quique suæ lauri spe Martia Lilia spirans,  
 Speque sui patriæ cuderit arma suæ.

Sub pede quot strepitant calcati, crede, lapilli,  
 Tot lapides diros Vineæ sancta capit.

Saxeus est, qui non, tales cum conqueror esse,  
 Contrito in falsas corde liquescit aquas.





MISERATIONIS MVNIFICEN-  
TIAE QVE.

*Commendatio ac leges.*

I.

**D**ivitijs anima pretio mercetur avarae.  
 Tu fer opem miseris, fer miser atus opem.  
 Ipse Deo, samio sene teste, simillimus ibis  
 Pectore clementi munificâ que manu.  
 Heus! Deus à nobis miseris ardescit amari,  
 Vt, quod habet, quod & est, nos voluisse velis.  
 Est bonus, est facilis, miserabilibusque benignus.  
 Largus amicitiam vult stabilire suam.  
 Dives opum vis esse? dato, dator esto datarum.  
 Si dederis, largo reddideris ne Deo?  
 Reddideritne Dei sua munificentia maior  
 Ista tua, super a semper egente manus?  
 Divitiæ pereunt, aurum ambedit atra vetustas;  
 Sed stat munificæ gratia sancta manus.  
 Ipse levans alios super Astra levaberis olim,  
 Nâ pereas, miseros ne perÿsse sinas.  
 Cum tamen hæc virtus leges sibi vendicat almæ.  
 Sic dare legitima est conditionis opus.  
 Da multis benè, da multum, sed noxia nulli.  
 Si bonus es, bona da; da bona danda bonis.  
 Da bona danda malis, melioraque dentur egenis,  
 Optima, que iustis dat recipitque fides.

*Astr*

*Auri divitibus raro cumulaveris aurum :*

*Da quoque divitibus, da melimela, favos.*

*Da quod habes pulchrum, da quicquid & utile: limbo*

*Aptando manica pauperis adde togam.*

*Da quod amas, & erit cuivis peramabile donum;*

*Et fluat ex animo munus amice tuo.*

*Si me Gaure velis muto donare molosso,*

*Quem tibi met non fers, Gaure, remitto canem.*

*Eque tuis largire, aliis ne surripe danda.*

*Arguo te furti, si mihi rapta seras.*

*Sique tua invigilans opera stet in aggere fossor,*

*Solvito; donatum quod super addis habet.*

*Vt tibi reddatur, non da: data singula profunt,*

*Ast ut ab humana non repetenda manu.*

*Proijce: sic proiecta tamen ne dixeris esse.*

*Pascitur hic? eius robore pascus eas.*

*Viscera pascit amans, animam tibi pascit alumnus.*

*Improbos os reddet, peccus at omne probus.*

*Tu manibus polles, hic ingenioque sinuque.*

*Vincit uter? manibus tu, vel an ille prece?*

*Sis humilis, quoties tna das? accepta memento,*

*Et tibi, cum dederis, sic potuisse dari*

*Dona, quibus super Astra superciliosè locari*

*Te censes meritum, nil nisi floccus erunt.*

*Gratis & accepti reminiscens divide gratis.*

*Idque Deo debes, quod tibi debet inops.*

*Da prius, oppletis quam vox tua munera cistis*

*Eliciat: lentas urseris ipse manus.*

*Vox malsuada animi pereat, maledica faceffat.*

*Rumpito multiplices, ne retrahere moras.*

*Sic onerato leues, ut anhelos pondera tardent,  
 Et vix instabiles stent abeantque pedes.  
 Si releyes humeros, poteris farcire crumenam,  
 Quæ velut in vernos hinnulus ibit agros.  
 Tempestate aliâ ne tu repetiveris aurum;  
 Tu nec in opprobrium dic: tibi tanta dedi.  
 Fundit opes largè Deus, & non exprobrat ulli,  
 Donec adoratus stat steterisque thronus.  
 Iugiter ergo animo miseri miserere levandi  
 Da, data sufficiunt, dixerit usque Deus.*



## II.

*De Vineâ Mystica, nec non erga ejus operarios  
 benignitate ac munificentia.*

*E Cantico Canticorum, cap. 8. vers. 12.*

## CHRISTVS SPONSVS,

*Diusque Vinitor sic satur:*

**E***st mihi (proventus cuius mihi vendico soli)  
 Vineâ, quæ culti gloria summa ingi est;  
 Nectare turgescens, gravibusque expansa racemis,  
 Cirtâ oras Hebrî qua spatiosa viret.  
 Solus eam elapido, fodio, puto, sepio, planto,  
 Solus ego botros corbibus hisce lego.  
 Hosque manu carptos pedibus calcavero nudis  
 Solus, ut imbutam purpuret uva togam.  
 Qui volet inde bibat, terraq; oblitus ad Astra  
 Mente volans, Gratio mistus Apella bibat.*

*Nunc*

*Nunc apricari, seu pernoctare ligellis*

*Hiscæ racematis candida corda sino.*

*Ad vineo alios mihi debita fama decusque*

*Excludunt, alios ceu mea templa Deos.*

*Quod faciunt servi, facio ipse; reogue ministros,*

*Vt, quod ii faciunt, dixeris esse meum.*

*Idque probo, quod & instimulet mercede ministros*

*Iussus, es in larga Vite labore amor.*

*Dic, quis in arma ruens sua non stipendia miles.*

*Pro Patriâ ferro vindice motus habet?*

*Quisve gregem curans queat, heu, sibi lacte negato,*

*Cominus inter agens ubera, ferre sitim?*

*Triturâ excutens bos quadrupedante subactis,*

*Frustrum è cumulis, stramina nulla vorat?*

*Solve capistra puer, iumentaq; pabula mandant.*

*Molle fatigatus nunquid asellus edat?*

*Optima, nunquid ii, quibus est vindemia cura,*

*Eius proluerent os fluitate mero?*



### III.

## DE MERCEDIS INÆQUALITATE.

**S***I merces paris officij sit fratribus impar,*

*Alterutrum queruleum facta minuta facit.*

*Hic habet, alter eget; salit hic, sed claudicat alter,*

*Musaque non equo claudicat ipsa pede.*

F I N I S.

